

tam proteruè & superbè insultantem in clarissima Ecclesiæ Christi lumina, & de eis tam contemptim loquentem. Non potuit melius prodere odium suum in Religionem reformatam, quàm Reformatorum primipilos proscindendo. In oratione habita in Camera stellata vocat institutionem Seniorum laicorum nouitiolum Caluini commentum. Petrum verò Molinæum, in epistola ad Regem præfixa opusculis posthumis Episcopi Wintoniensis, sic frigidè laudat, vt contumeliosius insectetur, quàm si conuitiis hominis existimationem laceraret; ornat eum elogiis *Theologi non indocti & satis acuti*. Etenim putauit cum Fauorino apud Gellium, turpiùs esse frigidè laudari, quàm acerbiùs vituperari. Non idem animus fuit Andreæ Episcopo Wintoniensi, qui determinatione de Vfuris à Riueto excussa, vocat Caluinum *virum illustrem, nec vnquam sine summi honoris præfatione nominandum*. Sed repeto inceptam narrationem. Ne quis putet me Archiepiscopo imponere, exscribam ex eius libro contra Piscatorem aliquot loca Pag. 17. *Veluti Scriptura, quando est plana, debet Ecclesiam regere; sic pertinet ad Ec-*

*ad Ec-*